

VERS. 13.— SED ET HÆC QUÆ NON POSTULASTI, DEDI TIBI: DIVITIIS SCILICET, ET GLORIAM, UT NEMO FUERIT SIMILIS TUI IN REGIBUS CUNCTIS RETRO DIEBUS. In lib. 2 Paralip. c. 1, v. 22, paulò aliter, sed sensu non diverso: *Sapientia, et scientia data sunt tibi: divitias autem, et substantiam, et gloriam dabo tibi, ita ut nullus in regibus nec ante, nec post fuerit similis tibi.* Ubi duo videntur inter se perbellè consentire. Alterum quia eodem noctis articulo, quã data est scientia, datæ quoque dicuntur divitiæ et gloria, qualia reges alii consecuti non sunt; at in Paralipomenis daturum se Dominus dicit, non dedisse divitias, substantiam et gloriam. Sed duo hæc loca se sibi facili negotio conciliant, si statuamus aliquid interdum in Paralipomenis addi, quod in libris Regum omisum est. Dedit Deus opes plurimas Salomoni, quas pater multo labore ante atque studio quæsierat, de quibus Josephus lib. 7 Antiquit. c. 12: « Tantas divitias reliquit, quantas nullus alius rex, vel Hebræorum, vel aliarum gentium. » Sed alias quoque dedit postea, quibus regium fiscum vehementer auxit, de quibus suis locis agendum est. Vide interim lib. 3 Reg. c. 16, v. 27, et Eccl. 47, v. 20. Quare quo tempore hæc dicta sunt, acceperat jam Salomon divitias sibi à parente relictas, et adhuc erant aliæ à Domino paratæ, quas suis temporibus acciperet. De prioribus videtur actum in lib. Regum, de posterioribus in

« avait demandés. Ainsi ce roi mérita de se voir comblé de toutes sortes de biens, pour avoir su désirer ceux qui étaient les plus désirables. Et il nous apprend à tous par son exemple à imiter sa sagesse en imitant le choix qu'il a fait. Car si nous sommes assez imprudents pour préférer aux grandes choses les plus petites, et les biens fragiles de la terre aux biens éternels du ciel, en punition de ce choix extravagant qu'inspire la cupidité, nous serons privés en même temps, et du bien suprême que nous aurons méprisé, et du bien si méprisable que nous aurons recherché; étant condamnés très-justement, et à ne point recevoir ce que nous avons regardé comme le moins désirable, et à être dépouillés de ce que nous avons injustement préféré à ce que nous aurions dû préférablement choisir. *Minora enim majoribus, et summis infima bona, id est, a terrena caelestibus anteposcentes, in poenam stultæ cupiditatis, omni carebimus, summo simul atque infimo bono; et illa justè non accipituri que non desideravimus, et istis meritò defraudandi, quorum amore noxiò potiora neglexerimus.* » C'est ce que le Fils de Dieu nous a exprimé en peu de paroles, lorsqu'il nous a dit: *Cherchez avant toutes choses le royaume et la justice de Dieu, et les autres biens vous seront donnés comme par surcroît.* (Sacy.)

lib. Paralip.; sed quia modus ipse loquendi nihil indicat datum divitiarum ante datam sapientiam, et Davidis opes ante illud nocturnum somnium Salomon acceperat, ideò de aliis divitiis, quas aggregavit Salomon, sermonem esse reor. Neque tamen duo hæc loca, quæ minùs videntur inter se consentire, dissentiunt. Notum est ea, quæ aut brevi fient, aut sine ullo prorsus errore contingent, explicari solere per præteritum, ut variis in locis à nobis explicatum est. Ex quo fit ut familiare sit Prophetis, præterito tempore uti pro futuro. Quare idem est, dedi divitias, atque, dabo ita fideliter ac certò, ut quæ promissa sunt, pro concessis jam verè existimari possint.

Ex his non dubium est in illà nocte, ac somnio infusam fuisse Salomoni sapientiam. Quo tamen anno ab inito regno, seu Davidis morte somnus iste contigerit, obscurum est, neque auctores afferunt, imò neque, ut ego arbitror, afferre possunt aliquid certi. Illud certum non fuisse admodum ætate progressum, quod indicat illud Eccles. 47, v. 15, ubi institutus de Salomone sermo: *Eruditus es in juventute tuâ, et impletus es, quasi flumen, sapientiâ.*

Alterum quia in lib. Regum superandi dicuntur divitiis et gloriâ à Salomone reges, qui Salomonis ætatem præcesserunt. In Paralipomenis autem illi etiam, qui consecuti sunt. Solutio jam à nobis paulò ante indicata est, nimirum, aliquid additum in Paralipomenis, quod in libris Regum omisum fuit; utrumque promissum est à Deo, utrumque concessum, neque tamen utrumque proditum libro Regum tertio, sed illud prius; utrumque in lib. Paral. adhibitum: ab historico autem non exigimus ne vera dicat omnia, sed ne aliquid audeat quod ab historicâ fide, ac veritate recedat.

Sed nunc illud explorandum, an reges omnes, qui Salomonis ætatem præcesserunt et consecuti sunt, minùs fuerint, quàm Salomon, aut abundantes opibus, aut gloriâ florentes. Ego ita existimo, non tamen de omnibus intelligo quotquot fuerint antea, aut postea sunt futuri in universâ terrâ, sed de illis tantum, qui regnaverunt in Israele; quod ipsemet explicuit Salomon Eccl. cap. 2, v. 7: *Possedi servos, et ancillas, multamque familiam, armenta quoque, et magnos ovium greges ultra omnes, qui fuerunt ante me in Jerusalem. Coacervavi mihi argentum et aurum, et substantias regum, ac provinciarum; feci mihi cantores, et cantatrici-*

ces, et delicias filiorum hominum, scyphos, et urceos ad ministeria, et vina fundenda, et supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Jerusalem. Scio esse multos, qui sic accipiant divinam hanc promissionem, ut putent neminem ex præteritis antea, vel ex futuris postea regibus ad Salomonis majestatem et opes, aut pervenisse priùs, aut perventurum aliquando. Sed quando neque littera eò nos adigit, ut fateamur cum omnibus omnium temporum, locorumque regibus esse comparisonem, et modò videamus ad reges, qui fuerunt Hierosolymis, coactari, satis probabiliter putamus dici posse non ultra Israeliticis fines de regiâ majestate atque opibus comparisonem extendi. Et quidem, ut hic observavit Abulens. q. 12, et Dionysius, multi fuerunt superioribus seculis, quorum gloriam et divitias non videtur adæquasse Salomon, quales fuerunt Nabuchodonosor, Cyrus, Alexander, Octavius Cæsar; et nostrâ ætate plura videtur ex subjectis sibi regionibus orbis antiqui et novi habere tributa Hispaniarum, et ex barbaris Sinarum rex, quàm habuit Salomon, cujus imperium angustis terminis definitum est, et non usquè adèò pretiosi metalli, et pretiosorum lapidum ferax. Alii aliter conjectant, et fortassè meliùs; sed mea mihi nunc conjectura non displicet. Quòd autem, quotquot fuerunt reges in Israele, in majestate, atque opibus longè fuerint à Salomone superati, clarius est quàm ut à nobis confirmari debeat.

VERS. 14.— SI AUTEM AMBULAVERIS IN VIIS MEIS, ET CUSTODIERIS PRÆCEPTA MEA, ET MANDA-TA MEA, SICUT AMBULAVIT PATER TUUS, LONGOS FACIAM DIES TUOS (1). Quidam omnia hæc eâ

(1) *Que si vous gardez mes ordonnances, comme votre père les a gardées, je vous donnerai encore une longue vie. Il paraît étrange que Dieu propose David comme un prince qui avait gardé ses ordonnances, lui que l'on savait avoir violé par un adultère et un homicide sa loi divine. Mais c'est ce qui peut servir d'une grande consolation pour les pécheurs, qui, étant tombés comme David, se sont relevés comme lui par la pénitence. Dieu juge de l'homme non par les fautes où il peut tomber, mais par son humble retour vers lui. Et ainsi, quoique les crimes où était tombé David fussent très-grands, l'humilité de sa pénitence parut encore plus grande à ses yeux, et lui couvrait en quelque façon toutes ses fautes, selon que David le dit lui-même: *Qu'heureux sont ceux de qui Dieu pardonne les iniquités, et dont les péchés sont couverts.* Dieu donc avait oublié les crimes de son serviteur David, pour ne se plus souvenir que de son humble fidélité. Et c'était avec raison qu'il la proposait au roi, son fils, dont les bons commencements, dit*

Salomoni conditione promissa existimant, si parentis vestigiis ingressus divina mandata seriò atque intemerata custodiat. Quod, opinor, verum non est; nam multa horum simul cum promissione collata sunt. Potiùs crediderim, aut à Deo promitti Salomoni, si à divinis mandatis non recedat, opum abundantiam, sapientiam et gloriam, qualem ante descripsimus ad longum tempus, ita ut diurnam agat vitam, cujus pars nulla sit à regio splendore, aut fortunâ vacua, aut certè, quod magis videtur ad litteram, et putat Abulensis quæst. 11, longos impleat annos, quod homines in magnâ ponunt felicitatis parte; ubi benè illis est à fortunâ. Nam qui potest ille censeri fortunatus, quantumvis reliqua contingant ex votis, si vita contingat non diurna? ejus spes potiùs videatur ostensa quàm adita possessio.

VERS. 15.— Igitur evigilavit Salomon, et intellexit quod esset somnium. Post hæc extrema verba Salomon solutus est somno. Nec difficile fuit in somno sibi superiora fuisse oblata, quando proximè se dormissem nove-rat, nec videtur illa fuisse causa, cur hic dicatur nôsse illud fuisse somnium, nisi intelligamus hic aliquid supra illa, quæ vulgo hominum appellantur somnia, in quibus nihil sit nisi vanæ quædam imagines, quæ sopitis hominum sensibus illudunt. Sunt enim quædam somnia prophetica, quæ dormientibus aliquid, aut prædicunt, aut portendunt, quibus homines jam vigilantes aliquid putant esse ponderis; et qui somnia immisit, illam quoque somniantibus mentem indidit, ut solidum aliquid viderent et agnoscerent in rebus quas inanes alibi rerum imagines objeunt. Qualia fuerunt Pharaonis, Laban et Nabuchodonosoris somnia, et quale viris sanctis sæpè immisum est, ut Adamo Gen. 2, v. 21; et Abrahamo Gen. 15, v. 12; et Josepho Gen. 38, v. 5; et alteri Josepho sponso Virginis, Matth. cap. 2, v. 13. Intellexit ergo Salomon esse somnium, id est, Dei sermonem, quali Deus homines per quietem illustrat; quod accidisse Patriarchis olim non ignorabat sera posteritas. Sen, quod idem fermè est, quid somnium illud in futurum portenderet, Salomon agnovit; in quod ipsa somnii verba non obscure propendunt. Neque enim dicitur Salomon agnovisse illud esse somnium, sed quod esset somnium, id est, quodnam esset somnium, aut quò spectarent spectantem. Hic bonis initiis, malos exitus habuit. (Sacy.)

cies illæ à Deo per quietem oblatae, aut certè cognovit se divinitus accepisse sapientiam. Quo verò id modo deprehenderit, incertum.

Abulensis quæst. 11, in fine refert eujusdam Hebræi sententiam, qui putat statim agnovisse Salomonem infusam sibi à Domino sapientiam, quia ubi primùm solutus à somno evigilare cœpit, audivit garritus avium, et quid illæ voces significarent, intellexit: latratus canum et aliorum animalium multiplices sonos, quibus illorum sensus assecutus est. Is est Rab. Salomon, qui nihil non audet, modò ad popularem plausum. Quem velle confutare ejus esset, qui abuti vellet otio, et in re omninò ludicrà operam perdere. Agnovit quidem Salomon quid accepit, cujus rei tunc ille dedit illustre testimonium, cum reversus à Gabaon, ubi flumen illud sapientiæ hauserat, Eucharisticon, seu gratulatorium sacrificium obtulit. Id enim esse puto hoc loco hostias pacificas, quibus aliquot etiam addidit holocausta: et quod in præclaro aliquo, et maximè felici rerum eventu solet fieri, exhibuit familiæ toti, famularique turbæ grande convivium. Accepisse verò se sapientiam divinitus infusam ideò cognovit, quia Deus, qui fecerat ut momento temporis alia cognosceret, ille idem voluit ne hoc ipsum Salomonem lateret. Neque fieri poterat, quin ipse cognosceret magnam in se factam rerum mutationem: nam sicut ubicumque lux fuerit, ipsa se statim suo splendore prodit, sic sapientia, quæ instar obtinet lucis, non potest quin emicans foràs seipsam quamprimùm manifestet.

CUMQUE VENISSET JERUSALEM, STETIT CORAM ARCA FŒDERIS DOMINI, ET OBTULIT HOLOCAUSTA, etc. Obtulerat Salomon holocausta et victimas in Gabaon, ubi à Domino cor docile, et illam sapientiam postulaverat, quam in suo moderatore ac principe republica desiderat. Rediit lætus in urbem tam grandì cumulatus dono, et Eucharisticon instituit sacrificium; quòque aliis etiam foret commune gaudium, epulum præbuit pro regiâ majestate luculenter instructum. Quod in festis quibusque temporibus sive anniversaria sint, sive recenti aliquo successu festiva, fieri solitum, multa docent exempla non ex profanâ solùm, sed ex sacrâ etiam eruditione sumpta. Hinc in nuptiis, et in genethliacis anniversariis geniales epulæ in ovium tonsione, cum multorum dierum fructus percipitur è gregibus, in læto nuntio, in amicorum adventu solemnes præparantur epulæ, ad quas familiares et amici vocantur.

Sic Pharaon Gen. 40, v. 10; Herodes Matth. 14, v. 6, fecerunt in natali die. Balthasar Dan. 5, cum liberum se putavit à Persarum exercitu, ut nonnulli volunt; Samson in nuptiis; quod fieri etiam solitum in nuptiali progressu, docuimus ad illud Cant. 5: *Comedite, amici, bibite et inebriamini, charissimi.* Cum ergo Salomon, ut ipse sæpè canit, sponsam sibi sapientiam habuerit, illamque hoc tempore duxisse videatur, cum magno fuerit cumulatus ornamento; cum nunc alius à se ipso factus existimari potuerit, et alium habuisse natalitium diem, cum natus sit sapiens, qui paulò ante rudis, et usque adeò fuerit ignarus, ut ingressum suum et exitum ignoraret: quæ vita melior existimari debet, quàm illa quæ communem hanc lucem intuetur, et spiritum ducit vitalem; quid mirum, si diem illum, in quo sponsam duxisse, et spiritum verè vitalem primùm hausisse visus est natalitio, et geniali convivio celebraverit?

VERS. 16. — TUNC VENERUNT DUE MULIERES MERETRICES. Statim atque sapientiam Salomon divinitus accepit, illius dedit documentum illustre in duabus feminis, quæ de infantis vivi maternitate ac possessione certabant. Historia usque adeò apertè et distinctè proponitur, ut nullam ab interprete lucem, operamque desideret. Aliqua tamen in illâ consideranda, quæ observârunt antiqui Patres, et habent pro re juridicâ præclara documenta. Ex hæc certè est sumptum caput 2, quod est de præsumptione violentâ titul. de Præsumptionibus. De quo judicio sic Hieronymus ad Rufinum epist. 131: « Interpretatio, inquit, « judicii Salomonis quantum ad simplicem « historiam pertinet, perspicua est, quòd puer « annorum duodecim contra ætatis suæ mensuram, de intimo humanæ naturæ judicârit « affectu. Unde et pertimuit eum omnis Israel, « quòd scilicet eum manifesta non fugerent, « qui tam prudenter abscondita deprehendisset. »

Meretrix non semper turpem indicat quæstum, ut pluribus ostendimus in nostris Commentariis ad illud Isaia cap. 23, v. 15: *Post septuaginta autem annos erit Tyrus quasi canticum meretricis. Sume citharam, circui civitatem meretrix oblivioni tradita.* Ubi sermo est de Tyro, quæ postquàm excisa est, reditura dicitur ad merces, quas sine dubio quæstum appellat meretricium. Et iterùm cap. 1, v. 21: *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis?* ubi Hebr. vox est *zonah*, quemadmodum hic etiam

habent istæ duæ meretrices, quibus de infantis vivi possessione disceptatio est. Ut autem posteriori hoc loco pluribus observavimus, unde huc nonnulla transcribimus, *zonah* ab eo verbo deducitur, quod propriâ, et latiori significatione merere significat, quocumque id modo, sive artificio fiat, sive honestum indicet, atque decorum, sive turpem atque damnatum quæstum. Meretrix ergo illam etiam feminam significat, quæ opificio aliquo, sive industriâ artem instituit, ex eâque captat neque impudicum, neque indecorum quæstum. Qualis est texitrix, lotrix atque stabularia, purpuraria, scrutaria; qualè etiam nomen habere poterat mulier illa fortis, de qua Proverb. ult., si sindonem, quam fecit et vendidit, et cingulum, quod Chananæo tradidit, ipsa venale circumferret, et eo quæstu suam aleret aut ornaret familiam. Hoc sensu Rahab, Josue 2, dicitur meretrix, quæ exploratores admisit in commune scilicet hospitium. Quam artem istæ duæ mulieres instituerint, incertum est; fuisse non turpem, qualis est illarum, quæ venalem habent pudicitiam, multa probant. Primùm, quia illæ feminæ dicuntur esse solæ: *Eramus*, (inquit illarum una) *simul, nullusque nobiscum alius in domo.* Mulierculæ autem illius artis nocturnum illud tempus solæ transigere non solent, certè noctes solent vendere, et interdum non levi mercede. Deinde, quia ex illarum muliercularum libidine vagâ, atque promiscuo semine filii nasci non solent: atqui duæ illæ, quæ meretrices dicuntur, enixæ sunt filios. Neque, opinor, si scorta fuissent, quod ignorant in magnis etiam civitatibus paucæ, regio subire oculos ausæ non fuissent, cum illud feminarum genus esset omnibus odiosum et vile. Hæ nobis conjecturæ persuadent, quamvis artem instituisse potius hæc mulieres, quàm quæ ab his, quæ magis vulgari sermone dicuntur meretrices, exercentur.

VERS. 19. — DORMIENS QUIPPE OPPRESSIT EUM. Udenam hæc mulier cognoscere potuit extinctum infantem ab opprimente matre, quæ videlicet cum minùs cautè quàm oporteret, somnum caperet, in misellum infantulum incubuit, oppressitque? Fortassè sanum viderat, cum dormitum iret, neque putavit tam brevi illum moriturum, nisi vis aliqua advenisset extrinsecus. Cumque præter matrem ibi adesset nullus, à matre filiolum extinctum putabat. Hæc mulier adduci conjecturâ potuit; sed hæc ita affirmat, quasi certò nòsset, cum tamen nullus adesset, qui videre potuerit, et

mater præcisè negaret. Fortassè suspicata est sibi ab æmulâ instrui homicidii crimen, ut illius suspicionem declinaret, alterius capitis periculo; et ideò matrem extincti pueruli, patrati sceleris agit ream, ut illam ulciscatur injuriam, sive ut oblato metu æmulam ab injustâ petitione deterreat. Quæ ratio fortassè falsam matrem adduxit, ut à se infanticidii crimen depelleret et alteri objiceret, et veram, ut tantoperè de vivo puero sibi vendicando certaret, quia fortassè supplicium erat sive constitutum à lege, sive inductum à consuetudine illis, quæ infantes suos aut ultrò et cogitò, aut etiam injuriè per negligentiam et incuriam opprimerent. Sanè posterioribus seculis decretum est supplicium illis, qui minùs cautè agunt cum filiis. Sic sanè cap. finali, de his, qui filios occiderunt, et cap. Consuluisti, 2, q. 4; vide Burchardum, lib. 17, cap. 58 et cap. 59. Ut hanc igitur pœnam effugeret, videtur illa mulier alteri supposuisse filium suum mortuum, et accepisse, et quasi sibi adoptasse vivum. Cur enim alienum filium ipsa nutrire vellet, et sumere molestam illam curam, quam matres in filiorum nutritione sumunt? aut quam sumeret ex alieno partu sibi consolationem, ut levaret dolorem, quem capiebat ex suo in ipso vitæ limine sublato? (1)

(1) VERS. 22. — CONTENTEBANT CORAM REGE, quia deerant testes, aliæque probationes et indicia; hinc vocis et clamoris contentione more suo certabant inter se hæ mulierculæ.

Allegor., duæ hæ mulieres repræsentant Synagogam Judæorum et Ecclesiam Christianorum, quæ inter se contendunt de puero Jesu et Messia vivo et vero; sed Salomon. id est, Christus, litem dirimit dicens, Matth. 10: *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Veni enim dividere legem et gratiam, Judæos et Christianos, fideles et infideles, uti pulchrè docet S. Hieron., Epist. 131 ad Rufinum, ubi et addit Salomonem hoc judicium peregrisse anno ætatis suæ duodecimo, hoc enim regnare cœpisse; sed superius ostendi id factum anno ætatis vigesimo.

Rursùm repræsentant Ecclesiam catholicam et hæresim Arianam, Nestorianam et cæteras, quæ Christum dividunt in duos, ut alius in eo sit Deus, alius homo, ac veros fideles qui sunt vivi Ecclesiæ filii, sibi arrogare, et ad suam hæresim pertrahere, ideòque perdere et interimere satagunt. Ita S. August. serm. 200 de Temp.: « Impia, ait, et crudelis hæresis « clamat ut dividatur. Quid est, dividatur, nisi « non Filius æqualis sit Patri? dum enim Filio « subtrahit æqualitatem, et bonum omnipotentemque denegavit Patrem. Deus enim « Pater, si potuit Filium sibi similem gignere, « et noluit, non est bonus; si voluit, et non « potuit, non est omnipotens. » At vera mater, scilicet Ecclesia catholica, clamat: *Date illi « puerum, et nolite dividere eum.* Filius meus

VERS. 24. — DIXIT ERGO REX : AFFERTE MIHI GLADIUM, etc. Hinc jam incipit emicare sapientia divinitus accepta. Res erat occulta, neque quisquam advocari poterat testis, cum res esset

est, sed melius apud illam migret natus, migret totus, tamen apud me maneat mater-nus affectus. Date illi puerum, non auferatur vota membrorum, illius integritas non dividatur, ne mihi pietas auferatur. Quod dicit: *Date illi puerum, et nolite dividere*, ecce et ego dico: Totum posside, et noli dividere Deum. Hæc ad verbum ex S. August. transcripsit Angelom., Eucher., vel potius Beda, et S. Prosper. lib. de Prædict.

Tropol. S. Gregor. lib. 21 Moral., cap. 8, per duas has mulieres accipit veros et falsos doctores: veri enim et boni discipulorum salutem, falsi et mali suam gloriam et lucra querunt, cum discipulorum perditione. Quia nimirum, ait S. Gregor., magistri vigilantes quidem scientiâ, sed vitâ dormientes, auditores suos, quos per vigilas prædicationis nutriunt, dum quod dicunt facere negligunt, per somnum torporis occidunt, et negligendo opprimunt, quos alere verborum lacte videbantur. Unde plerumque, dum ipsi reprehensibiliter vivunt, et habere discipulos vitæ laudabilis nequeunt, alienos sibi attrahere conantur; quatenus dum bonos se habere sequeas ostendunt, apud iudicia hominum excusent mala quæ agunt, et quasi per subditorum vitam mortiferam tegant negligentiam. Unde illic mulier filium, quia ex-tinxit proprium, quæsitv alienum: sed tamen veram matrem Salomonis gladius invenit, quia videlicet ejus fructus vivat, vel ejus intereat, extremo examine ira districti iudicis demonstrat. Solerter deinde advertendum monet S. Gregor., quod vivens filius, prius dividi præcipitur, ut soli postmodum matri reddatur, quia in hac vitâ quasi partiri conceditur vita discipuli, dum ex illâ nonnunquam alter apud Deum meritum, alter verò apud homines laudem habere permittitur. Sed falsa mater eum quem non genuit, occidi non metuit, quia arrogantes magistri et charitatis ignari, si plenissimum nomen laudis ex alienis discipulis consequi nequeunt, eorum vitam crudeliter insequuntur. Invidiæ enim face succensi, nolunt aliis vivere, quos se conspiciunt non posse possidere. Eadem ex S. Gregor. transcripsit Angelom. et Eucherius.

Symbolicè, S. Ambros. lib. 3 de Virgin.: Duæ, ait, mulieres, sunt fides et tentatio, quæ postquam posteritatem suam carnalis vitio conversationis et somno mentis amisit, posteritatis fructus auferre conatur alienæ. Itaque dum tentatio litigat, fides fluctuat, donec machera Christi latentes distinguat affectus. Quæ est hæc machera Christi? illa de quâ scriptum est: *Gladium veni mittere in terram*. Est enim gladius de quo scriptum est: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*. Quis autem sit hæc gladius, quæ machera, cognosce: *Verbum*, inquit, *acutum et validum, et penetrabilius omni gladio acutissimo, penetrans usque ad divisionem animæ et spiritus, artuumque et medullarum.* (Corn. à Lap.)

acta in tenebris, conscio nemine, neque præterea illud muliercularum genus dignum videbatur, cui haberetur fides, cum nullius sit, aut certè levissimi ponderis ac fidei, apud quas neque veritas habet, neque modestia pondus; quare astu res agenda fuit, cum omnis in eâ controversiâ abesset conjectura. Jussit ergo rex infantem dividi, ita ut, quælibet illarum feminarum suam sibi infantis medietatem auferret. Quæ res facillè prodidit, quænam esset vera, et quæ simulata mater, cum illa de severissimo iudicio doleret, hæc non solum non ingemisceret, sed etiam insultaret dolenti. Hanc sententiam, ut refert Josephus lib. 8, cap. 11, damnabat populus, esseque putabat puerile iudicium; donec reipsâ comperit divinitus illam esse datam sapientiam; neque esse contemnendum illum, qui rem usque adeo implexam et obscuram tam sine errore, et facillè expediisset.

ET TIMUERUNT REGEM, VIDENTES SAPIENTIAM DEI ESSE IN ILLO, AD FACIENDUM JUDICIUM. De hac populi admiratione Ambrosius, lib. 2 de Offic. cap. 8: Non immeritò, inquit, aestimatus est intellectus Dei esse in eo, in quo occulta sunt Dei, Quid autem occultius quàm internorum viscerum testimonia, in quæ sapientis intellectus, velut quidam pietatis descendit arbiter, et velut quamdam genitæ alvi vocem eruit, quæ maternus patuit affectus, qui elegerat filium suum apud alienam vivere, quàm in conspectu matris necari? Idem penè lib. 3 de Spiritu sancto cap. 8.

Magni sanè iudicii est, ubi nulla apparent animi latentis indicia, quæ in eo inclusa sint introspicere; laudatur maximè Erasistrati medici prudentia, qui morbum et corporis et animi natum ex amore, et ejus amore langueret Antiochus Seleuci regis filius, cum ille id occultare maximè studeret, astu detexit. Vide Valerium lib. 7, c. 7. Claudius præterea imperator, ut auctor est Suetonius in Claudii Vita cap. 15, cum femina quædam suum sibi filium non agnosceret, essetque utrinque dubia argumentorum fides, hoc illam modo suum esse filium confiteri coegit: jussit enim ut illi nubere, quod illa recusavit tanquam iniquum, et ab ipsâ naturâ reprobatum. Causam tandem aperuit, cur animus illas horreret nuptias. Illa etiam Phrynes meretriculæ laudatur astutia, quæ deprehendit quam Praxiteles statuarius nobilis imaginem probaret amaretque magis; cui cum optio data esset ab artifice,

ut quam vellet sibi ex omnibus eligeret, neque illa aliam mallet, quàm quæ esset alius artificis iudicio prælata, combustam esse finxit officinam et signa cremata. Cùmque ille de Cupidinis Satyrique jacturâ maximè doleret, illorum imaginem cognovit omnium esse præstantissimam, sibi que unam ex omnibus Cupidinis elegit. Vide Petr. Crinitum lib. 24, cap. 10. Hæc et similia alia legimus, quibus hominum sunt interni sensus explorati, sed nihil omnino, si cum Salomonis iudicio componantur. (1)

(1) VERS. 25. — DIVIDITE, INQUIT, INFANTEM VIVUM IN DUAS PARTES, ET DATE DIMIDIAM PARTEM UNI, ET DIMIDIAM PARTEM ALTERI. Dixit hoc Salomon non seriò ut ferens sententiam, sed simulatè, ut exploraret in utrâ resideret maternus affectus, ut illi filium vivum adjudicaret: nec enim alia probatio, aut aliud medium litem hanc decidendi suppetebat. Nam à naturâ insitus est matri arcanus erga prolem suam amor et commiseratio, cujus expertus est illa quæ non est mater. Naturam ergo hic interrogavit Salomon, et illa respondens matrem genuinam suo affectu monstravit. Nam, ut ait S. Ambros. lib. 3 de Spiritu sanct. cap. 7, consideravit Salomon quòd vera mater plus consuleret filio quàm solatio, et gratiam juri, non gratiæ jura præferret. At verò illa quæ matris simulatè affectum, vincendi studio, dum parvi duceret ejus exitium, in quo nesciret pietatis dispendium. Itaque vir ille spiritalis qui dijudicaret omnia (*spiritalis enim dijudicat omnia*), naturam in affectibus quæsitv, quæ latebat in vocibus, et pietatem interrogavit, ut proderet veritatem. Vicit itaque mater charitatis affectu, quæ fructus est spiritus.

VERS. 26. — E CONTRARIO, ILLA DICEBAT: NEC MIHI, NEC TIBI SIT, SED DIVIDATUR. Hinc patet hanc non solum falsam fuisse matrem, sed etiam invidiâ et odio laborasse in veram matrem, ideòque petisse ut ejus filius occideretur sicut suus erat mortuus; alioqui enim petisset sibi servari infantem, cum mater vera illum ei dari à rege postularet, ne filius suus occideretur. Voluit ergo ut filius ejus moreretur, sicut ejus filius erat mortuus. Ita Abulens. Audi S. Ambros. lib. 3 de Virg.: Quo audito, illa quæ petebat alienum, non solum acquievit, sed etiam divisionem parvuli depoposcit, nullo affectu commota materno. Illa quæ suum sciebat infantem, non vinci metuens, sed orbari; nec jam solatio suo proprio, sed pignori suo consulens, orare accepit ut in columis magis puer traderetur alienæ, quàm

CAPUT IV.

1. Erat autem rex Salomon regnans super omnem Israel.
2. Et hi principes quos habebat: Azarias, filius Sadoc sacerdotis,
3. Elihoreph et Ahia filii Sisa, scribæ; Josaphat filius Ahilud à commentariis;
4. Banaïas, filius Joiadæ, super exer-

sectus in partes matri propriæ redderetur. Unde Salomon, qui non majestate divinâ, sed argumentis ut homo interiorem interrogabat affectum, illi potius judicavit parvulum esse reddendum, quàm veram matrem dolor pro-prius prodidisset: illam verò, quàm morituri parvuli misericordia non movebat, exortem pronuntiavit esse naturæ, quàm exortem vidit esse pietatis. Veritas ergo non latuit, sed tamen per simulationem alterius fluctuavit: diùque etiam bona mater eventu hæsit ambiguo, dum iudicio periclitatur incerto.

Tropol. S. Greg. 21 Moral. c. 8, per duas has mulieres accipiens falsos et veros doctores: Perversa mulier, inquit, clamat: *Nec meus sit, nec istius*. Ut enim diximus, quos sibi obsequi non vident ad gloriam temporalem, eos aliis invident vivere per veritatem. Vera autem mater satagit, ut ejus filius saltem apud extraneam sit et vivat, quia concedunt veraces magistri, ut ex eorum discipulis alii quidem magisterii laudem habeant, si tamen integritatem vitæ iidem discipuli non amittant. Per quæ pietatis viscera hæc eadem vera mater agnoscitur, quia omne magistrum in examine charitatis approbatur, et sola recipere totum meruit, quæ quasi totum concessit, quia fideles præpositi pro eo quòd ex bonis discipulis suis non solum aliis laudem non invident, sed utilitatem eis etiam profectus exorant, ipsi et integros et viventes filios recipiunt, quando in supremo examine ex eorum vitâ perfectæ retributionis gaudia consequuntur.

VERS. 27. — HÆC EST ENIM MATER EIUS. Natura enim et naturalis compassio certò indicat hanc esse matrem. Vide hic solertiam et sapientiam Salomonis. S. Ambrosius, lib. 2 de Offic. cap. 8: Sapientiæ fuit latentes distinguere conscientias, ex occultis eruere veritatem, et velut quædam macherâ, ita spiritus gladio, penetrare non solum uteri, sed etiam animæ et mentis viscera. Justitiæ quoque, ut quæ suum necaverat, alienum non tolleret, sed vera mater reciperet suum. Benigne etiam Scriptura hoc pronuntiavit: *Audivit, inquit, omnis Israel hoc iudicium quod judicavit rex: et timuerunt à facie regis, eo quòd intellectus Dei in eo esset, ut faceret justitiam.* (Corn. à Lap.)

VERS. 28. — VIDENTES SAPIENTIAM DEI ESSE IN EO. Sapientia planè insueta et mirifica appellatur *sapientia Dei*, uti *somnus Dei* est somnus gravissimus; *subversio Dei*, subversio integra, persimilis subversioni Sodomæ et Gomorrhæ; *terror Dei*, animadversio Dei, ventus Dei, etc. Planius etiam dictum accipi potest de sapientiâ ex Deo acceptâ, de scientiâ ordinis supernaturalis, et infusâ. (Calmet.)

CHAPITRE IV.

1. Or, le roi Salomon régnaît sur tout Israël.
2. Et voici quels étoient ses principaux officiers: Azarias, fils du prêtre Sadoc,
3. Elihoreph et Ahia, fils de Sisa, étoient secrétaires; Josaphat, fils d'Ahilud, avait la charge des registres;